QVAESTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM
DIE IOVIS TRIGESIMA MARTII.
M. CLAVDIO GERVAIS Doctore Medico Moderatore.

802.

An à cibo meridiari salubre.

SAPIENTER ille vitam instituit, qui vigiliarum & somni vices sic sortitur, vt meliorem diei partem vigiliis, breuiorem somno addicat. Equidem homo rebus agendis natus minimùm otiatur, labori plurimùm temporis impendit: interquiescit tamen ipso in opere, & medio die quasi interiungit corpori curando, cibo liberaliore, parciore, pro ea viuendi lege, quam sibi quisque præscribit: tum ciborum anathymiasi obrepit somnus; qui ei se dediderit, ille meridiari dicitur: verùm insititio somno diffindere diem non decet, quòd natura & consuetudine ciuili comparatum sit, diem vigiliis, noctem somno ducere: homini meridie sopito obstreperent ipsæ cicadæ.

IN morbis quauis diei hora exoptandus somnus, si placidus, si leuis, & ab eo morbum facilius ferat æger: arcendus tamen ille quouis morbi etiam leuissimi tempore, quem inuitat atque illectat cibus: non semel contigit affecta, & penè confecta tertianæ febris iutermittentis, morbi securissimi, curatione, à cibo ægrotantes somno oppressos occubuisse: scilicet superstes prauus humor vnà cum cibi vaporibus somno raptus ad cerebrum, illius vim omnem extinxerat: si fortè tamen quis morbus, casúsue, phrenitis, doloris cruciatus quietem omnem, nocturnam, diurnam adimeret (quod pergraue est, nec humanæ naturæ ratio diutiùs perferre potest) quæuis dormiendi occasio, etiam à cibo, rapienda: at soporiferis poculis nonnisi cautè, & longè à cibo somnus est prouocandus: cauendus veternus, ipse per se grauis, phrenitidi si succedat, funestus.

QVI vigiliis per singulas corporis partes vnà cum spiritu diffunditur calor, somno reuocatur in intima viscera: tum collectis viribus vegetior, cibi nunc primùm ingesti concoctionem aggressus, fumos crassos, necnon virulentos suscitat permultos: illi vigiliis discutiuntur, somno feruntur ad caput, & cerebro densam offundunt caliginem, atque illud offendunt adeò, vt natiuum cerebri calorem propè suffocent: tum remissa, ac penè intermissa concoctione, excrementitius humor plurimus congeritur, amplissima morborum seges: quandóque inuritur cerebro labes, quæ penitùs illi insidet, vt elui nunquam possit: vnde epilepsia, sacer morbus, & indomitus; capitis totius, vel dimidij dolor, qui interuallis mouetur, sæuissimus, nec ille arte medica expugnabilis.

QVI à cibo somnum ineunt, & illi indulgent, destillationibus sunt maximè opportuni: aliis aures manant sanie, & grauis est auditus: aliis illachrymantur oculi, & eorum hebescit acies: atque vtriusque affectus ea pertinacia, vt aluo diu etiam soluta persistat: alij eam ore reddunt mephitim, quam emittunt sæui spiracula ditis, erosis dentibus destillatione peracri, quæ vtraque manu medica, detractione sanguinis, & purgatione inhiberi nequit: alios excruciat artuum dolor acerbissimus, cuius impetus omninò comprimi non potest, vt ille identidem sæuiat: alios fatigat ferina tussis, quæ asinino lacte, nedum somno, sedari nescit: omnes vitioso sunt corporis habitu. Etenim malignum serum per omnes venas suum diffundit virus, & sanguinis succum corrumpit: denique causarium, & in morbum putre corpus plerisque est.

POST cibum meridie ipso dormiendi consuetudo, quæ naturæ vim iam obtinuerit, ferenda est: medici qui naturæ student plurimùm, ei etiam consuetudini, quæ naturam immutarit, parere iubent: senes & qui noctu minimùm quiescunt, cibo meridiano indormire fas & iura medica sinunt: at tum quò breuior fuerit somnus, hôc minus est nociturus; satis sit vigilare desiisse. Consuetudinem tamen prauam sensim emendare, & meridiationis occasionem omnem vitare præstaret: namque vt in morbo quòque, sic in sanitate in somnum propensio damnosa est: consopitur tandem cum animi, tum naturæ vis omnis, vt, qui meridiana hora, præcipuè à cibo, somnum repetunt, plerunque ictu sanguinis calamitoso exanimati corruant.

Ergo à cibo meridiari non salubre.

Proponebat Lutetiæ IOANNES PIETRE Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIV.